

Gratianus in §. *Humanum*, dist. 1. inquit: « Jus naturale est, quod in lege et Evangelio continetur, » is non recte loquatur de jure legis naturæ: quia nec omnia illa, quæ continentur in Scriptura Veteris et Novi Testamenti, sunt principia practica nota ex terminis, nec conclusiones practicae demonstratae, nec vera evidenter consona talibus principiis, et conclusionibus. « Exponendus ergo est (subdit modeste Doctor subtilis) quod extendit jus naturale ad jus positivum ab auctore naturæ, distinguitur contra jus positivum ab aliquo, qui non est auctor naturæ. »

81. *Ejus verba in § Humanum, dist. 1, modeste exponuntur.* — Sunt equidem non pauci, qui Gratiani verba in alio sensu explicare conantur, videlicet, quod non intenderit dicere omnia quæ in lege et Evangelio continentur esse jus naturale (oppositum enim idem docuerat in § *His itaque respondetur*, dist. 6.) sed e converso, quod omne jus naturale contineatur in lege et Evangelio; prout post D. Thomam 1, 2. q. 94. art. 4. ad 1. interpretatur Navarrus, de *Pœnit.* dist. 5, n. 9, et Barbosa, in § *Humanum*, n. 4, dist. 1, citans Scotum, et alios. Sed sciendum quod juxta hanc explicationem, vel verba Gratiani sint legenda per parenthesim taliter: « Jus naturale est (quod in lege, et Evangelio continetur) quo quisque jubetur alii facere quod sibi vult fieri; et prohibetur alii inferre quod sibi nolit fieri; » vel verba illa intermedia, « quod in lege et Evangelio continetur, » in fine collocari debeant, ut sensum prædictum faciant. Quia igitur juxta mandatum Gregorii XIII, in *Decreto Gratiani* jam emendato, debent « omnia quam diligentissime retineri, ita ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur, » prout loquitur Breve apostolicum citati Pontificis; hæc explicatio non caret difficultate. Igitur vel retineatur interpretatio Doctoris subtilis, vel dictum istud inter errores Gratiani connumeretur.

82. *Item, nonnulli errores Gratiani referuntur.* — Deinde Gratianus in § *Necessario* et §§ seqq. dist. 76. erravit, docendo quod vigilia Pentecostes non sit necessario jejunanda: unde merito ibidem taxatur a Glossa y. *Observantia*. Item in § *Opponitur*, II, q. 7, ait, quod laici non criminosi possint accusare clericos: « Quod falsum est » (inquit Glossa ibidem. v. *Opponitur*), nisi suam vel suorum injuriam prosequantur; c. *De cætero*, XIV de *Testibus*, cum concordantiis ibidem a Glossa v. *Canonum* allatis. Insuper post can. *Placuit*

§ *Quas actiones*, XVI, q. 3. Gratianus quantum ad tempus præscriptionis complendæ, facit discrimen inter ecclesiam et monasterium: et ait quod ecclesia adversus ecclesiam, non nisi quadraginta annis præscribere permittatur; atqui in hoc non bene distinxit, quia hodie sola quadraginta annorum præscriptio currit adversus ecclesiam, nulla facta distinctione inter ecclesiam et monasterium, c. *De quarta*, juncta Glossa, v. *Quadragesima, de Præscriptione*. Plures alios Gratiani errores refert Bartholom. Cepolla. tom. I, *Tractatum*, tract. de *Cognitione librorum juris canonici*, n. 14, et seqq.; exinde n. 27 merito concludens quod liber *Decretorum* non est approbatus quantum ad dicta Gratiani quæ quotidie reprehenduntur. (ADNOTATIO II. *Ad calcem hujus volum.*)

83. *Ac palea. Capitula Palea inscripta non continent res mere leves.* — Queritur II. Cur nonnulla capitula, seu canones *Decreti Gratiani*, inscribantur *Palea*? Resp. I. Etsi non defuerint, qui per capitula *Palea* inscripta, in quibus agitur de gravissimis rebus ac negotiis: ut can. *Constantinus*, dist. 96, ubi sub duplici capitulo, *Palea* prænotato, fit præclarissima mentio, quod Constantinus imperator Ecclesiam beati Petri apostoli construxerit; palatium Lateranense, et Romam urbem, coronam insuper, omnemque regiam dignitatem in Italia, et partibus occidentalibus, beato Sylvestro Papæ, omnibusque ejus successoribus, qui usque in finem mundi in Sede beati Petri erunt sessuri, concesserit, atque reliquerit; et imperium, et regni potestatem in Orientem, seu Byzantium transtulerit; atque inter alia decreverit, ut Sedes Romana principatum teneat, tam super quatuor præcipuas sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, et Constantinopolitanam, quam super omnes in universo orbe ecclesias Dei: qualia procul dubio non sunt res inanes, ac leves. Accedunt plura similia capitula quæ *Palea* inscribuntur: ut can. *Sed pensandum*, dist. 6, et can. *Nullus presbyterorum*, ac seq. dist. 44, in quibus agitur partim de tribus, quibus peccatum impletur, nimirum suggestione, delectatione et consensu: partim de iis, quæ presbyteris vel maxime vitanda sunt; ac proinde levia non existunt. Omittuntur alia capitula, materias tam utiles, atque excellentes continentia, ut nullus *Decretorum* liber de cætero censeatur esse perfectus, qui *Paleas* nou

habeat; prout loquitur Cepolla, loc. cit. n. 4.

84. *Sed sunt additiones quedam.* — Resp. II. Capitula illa, quæ *Palea* inscribuntur, sunt *additiones* quedam; sive talia capitula, quæ primitus per Gratianum in *Decreto* posita non fuerunt, sed postea primum eidem inserta sunt. Ita admonitio ad lectorem *Decreto Gratiani* præfixa, § *In alio*; ubi pluribus aliis præmissis, « colligit has *Paleas* esse additiones non eodem tempore factas ad primam collectionem Gratiani, in margine primum adscriptas. » Idem tradit Fagnanus in c. *Canonum statuta*, XLIV, de *Constitut.* dicens: « Illud tamen fere apud omnes in confesso est Gratianum non fuisse illarum *Palearum* auctorem: quod inde convincitur, quod in vetustis et emendatioribus codicibus non reperiuntur. » Concordat Barbosa, loc. cit. n. 8. Cepolla, n. 3, atque communior doctorum. Et desumitur hoc ex eo: quia ejusmodi capitula, *Palea* inscripta, absunt a primo Vaticani exemplari (prout notatur in annotationibus ad can. *Sed pensandum*, y *Palea*, dist. 6, et alibi) atque etiam a pluribus aliis, præsertim antiquis *Decretorum* libris, qui *Paleas* hujusmodi vel omnino non habent, vel saltem non omnes, utpote quas primitus ad marginem adscriptas postea quidam librariorum omiserunt, quidam vero in contextu posuerunt: donec tandem, cognito quod isthæc capitula utilia sint, ea omnia *Decreto* inserta fuerint. Ex quibus manifeste liquet quod capitula illa, *Palea* inscripta, sint quedam additiones.

85. *Cur additiones ejusmodi nomine Palea prænotentur? Refertur prima quorundam opinio.* — Querens autem cur ejusmodi additiones nomine *Palea* prænotentur? Resp. varias circa hoc extare doctorum sententias, uti videre est in admonitione ad lectorem, *Decreto Gratiani* præfixa. Et quidem, dimissis aliorum opinionibus minus probabilibus, non pauci sunt, qui existimant auctorem dictarum additionum fuisse quemdam discipulum Gratiani qui vocabatur *Palea* (Jo. Andreas in Additione ad *Specul.*, tit. de *Disput. et allegat.*, § fin. appellat ipsum *Protopaleam*: at vero Baptista de S. Blasio, *Repetit.* in rubricam *Decreti*, n. 42. illum vocat *Pochapaleam*) quique postea propter eminentem scientiam suam ad cardinalatus dignitatem evectus fuisse, atque ejusmodi capitula per ipsum addita, a suo nomine, *Palea* inscriptis dicitur: prout censent Thomas Cananus in *Repetit.* in prooemium *Decreti*, n. 618 et

624; Maranta, part III *Speculi aurei*, n. 36, citans plures alios; Card. Tuschus lit. D. concl. 110 n. 7; Imola, Jo. Andreas, et alii.

86. *Verior sententia, ex notabili facto ortum hujus inscriptionis desumens.* — Verum magis credibile, ac veritati consonum videtur illud quod tradit Cepolla, cit. tract. de *Cognitione librorum juris canonici*, n. 2. et post ipsum Fagnanus in c. *Canonum statuta*, n. 44, de *Constitut.*, videlicet nomen illud *Palea* fuisse præfixum additionibus *Decreti* occasione sequentis notabilis facti. Nam (inquiunt) cum Gratianus monachus *Decretum* a se compilatum Romam detulisset, ut summo Pontifice probaretur, id cardinali cuidam doctissimo primum tradidit, ut Pontifici Probandum præsentaret. Cardinalis alienæ laudis et gloriæ cupidus, operis intelligens nobilitatem, sese auctorem ejus ostendere in animo constituit: unde multa sanctorum Patrum et Pontificum dicta, Gratiani ordinem secutus, addidit. Orta deinde apud Pontificem quæstione, quis eorum illius operis auctor extiterit, offert se Gratianus, ut ipse scriptor esse ab omnibus intelligi posset, ordinem libri et partes, ac singula ejus capitula ad sensum, non autem ad verba memoriter recitare. Cardinalis assensit, putans se auctorem declarandum, cum multa de suo addita fuissent, quæ Gratiano certe ignota esse sciebat. Dum igitur Gratianus omnia singulariter, prout statutum erat, perfecte referret, prætermittebat quandoque capitula, quæ cardinalis addiderat, quorum penitus erat ignarus. Igitur a cardinali quamprimum opponitur, quod librum nesciat, adeoque ipsum non composuerit. Gratianus econtra, intelligens ea, quæ prætermiserat, non esse de suo opere, sed additiones cardinalis, respondit: « Ubi sunt hujusmodi capitula *Palea* sunt, nec de meo grano. » Et exinde capitula illa, quæ cardinalis addiderat, *Palea* appellata sunt. Huc respexisse videtur Archidiaconus, dist. 91, can. *Presbyter*, n. 1, dicens: « Hoc capitulum habetur hic pro *Palea*, sed pro grano ponitur extra de *Celebr. Missar.*, cap. 1. »

## § VI.

DE AUCTORITATE DECRETALIIUM, CLEMENTINARUM, EXTRAVAGANTIUM SUARUMQUE RUBRICARUM.

87. *Libri Decretalium, Clementinarum, et Extravagantes habent indubiam auctoritatem.*

legis. — Quæritur I. Quæ sit auctoritas horum librorum juris canonici? Resp. breviter cum communi. Certum est, atque indubitatum. quinque libros Decretalium, Sextum item, et Clementinas, una cum Extravagantibus tum Joannis XXII, tum Communibus, habere auctoritatem legis, vimque decisivam in iudiciis: idque de Decretalibus Gregorii IX, Sextoque Bonifacii VIII, jam suo tempore editis, aperte tradit Scotus in 4, dist. vi, q. 8, §. *Sed non videtur*. Ratio clara est, quia omnium illorum librorum auctores sunt summi Pontifices, quorum jussu et auctoritate iidem (collectis diversis decretalibus epistolis, atque post resecata superflua in debitum ordinem redactis) compilati, et approbati fuerunt, prout liquet ex proœmiis eorundem. Atqui summis illis Pontificibus neque potestas, neque voluntas condendi leges ecclesiasticas defuit: hanc enim in suis litteris expresserunt, illam vero immediate a Deo acceperunt, dicente Christo ad Petrum, et in ipso ad legitimos ejus successores, *Matth. XVI, 19*: *Tibi dabo claves regni cælorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis, cum concordantiis.*

88. *Cur solis doctoribus, et scholaribus Bononiæ commorantibus, a principio fuerint transmissi?* — Nec obstat primo, quod summi Pontifices quinque libros Decretalium, Sextum item et Clementinas, a solis doctoribus, et scholaribus Bononiæ commorantibus, a principio transmisserint, uti patet ex proœmiis librorum. Resp. enim cum Glossa in proœmio Decretalium Gregorii IX, §. *Bononiæ*, et aliis, id factum esse propter studium, quod Bononiæ est communius et generalius, præsertim in utroque jure, et ibi quasi de omnibus mundi partibus sunt studentes (unde et *Mater studiorum* Bononia appellatur, ut refert Horatius Lilius, *Tractatum* tom. XVIII, tract. *De privilegiis scholarium*, n. 23.) atque ideo potius Bononiam diriguntur, et obligant omnes, cum non sit necessarium, eorum notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel litteras inculcare, cap. I, de *Postalat. prælator.*

89. *Decretales epistolæ ad particulares personas per Papam directæ, cur obtinent vim legis universalis?* — Nec obstat secundo, quod plerumque decretales epistolæ ad particulares episcopos, vel prælatos, super certis controversiis, vel causis Papam consulentes, diriguntur, prout liquet ex inscriptionibus capitulorum: ac proinde non videantur per mo-

dum legis universalis afficere totam Ecclesiam. Resp. enim, neg. seq. Nam, ex quo ejusmodi decretales publicæ auctoritate in corpus juris canonici redactæ fuerunt, nullas relinquitur dubitandi locus, quin legis universalis vim et robur obtinuerint: prout hoc ipsum in civilibus imperatorum responsis observatur; utpote ex quibus ad particulares præsides provinciarum, præfectos, vel consules directis (ut taceantur dicta juris consultorum) magna ex parte conflatur *Codex Justiniani*, vim legis universalis in Romano imperio indubitanter obtinens. Et ratio est, quia hinc Imperator, illinc Romanus Pontifex, compilationem juris communis sua auctoritate comprobavit, eamque confirmando suam effecit, juxta illud vulgatum: « Omnia nostra facimus, quibus nostram impertimur auctoritatem; » ut loquitur imperator, l. I, §. *Sed neque, c. de Veteri jure enucleand.* Et concordat. c. *Si Apostolica*, 22, de *Præbendis*, in 6, ibi: « Cum ipsa, post impertitam a nobis auctoritatem, nostra censeatur effecta. »

90. *Item decretales epistolæ ad particulares personas per Papam directæ, cur obtineant vim legis universalis?* — Accedit alia ratio. Siquidem generaliter loquendo, quando Papa respondet ad consultationem alicujus, eisi verba dirigat ad eam consulentis, tamen censeatur ostendere (vel etiam condere) jus commune per suam responsionem. Glossa in c. *Ex tua*, §. *Consultationem, de Filiis presbyter.* Felinus in c. *Canonum statuta*, n. 17, de *Constitut.* Abbas, c. *Pastoralis*, n. 1, juncto textu, ibidem de *Exceptionibus*, id intelligens, quando constitutio illa non venit in præjudicium causæ præcedentis. Imola, et alii apud Felinum loco citato. Idque habetur in c. *Ex multa*, 9, de *Voto*, ibi: « Ad hoc igitur respondemus quod in consultatione nostra jus editor: » Et merito: nam, ut l. I, ff. de *Constitut. princip.* notatur, « quod Principi placuit, legis habet vigorem. »

91. *Extravagantes communes, unde obligent?* — Nec obstat tertio, quod non constet, an Extravagantes communes de alicujus summi Pontificis decreto publicatæ, et in corpus juris canonici redactæ fuerint. Resp. enim dictas Extravagantes fuisse editas de auctoritate summorum Pontificum, satis patet ex superscriptionibus ipsarum, quarum singulæ in fronte præ se ferunt nomen Papæ, a qua emanarunt. Deinde, cum eadem a pluribus jam sæculis possessionem in corpore juris acceperint, semperque hactenus pro authen-

ticis habitæ sint, scientibus, et consentientibus etiam ipsis Romanis pontificibus: merito, simulque communiter ex usu, et sensu Ecclesiæ universalis, tanto jam tractu temporis firmato, habentur pro sufficienter promulgatis, et pro authenticis. Nam, quia ipsæ fuerant pance, haud merebantur nomen peculiaris alicujus voluminis decretalium, neque specialem approbationem pontificiam: quinimo sufficiebat ea, quam singulæ istæ Extravagantes habebant sibi propriam. (ADNOTATIO III).

92. *Per Rubricas quid intelligatur?* — Quæritur II. Utrum rubricæ corporis Juris canonici sint authenticæ? ubi sciendum, quod impræsentiarum per *Rubricas* intelligantur illæ superscriptiones, quibus tituli librorum, distinctionum, legum, seu statutorum prænotantur; ac per verba generalia expriment illud, de quo potissimum ibidem tractatur. Et dicuntur *Rubricæ*, eo quod antiquitus rubro caractere communiter scribi consueverint. Item *Rubrum*, ad differentiam *Nigri*; per hoc intelligendo textum ipsum librorum, legum, statutorum: per illud autem, titulos eorum. Sic fit, dum quæritur, « An valeat argumentum a rubro ad nigrum, » hoc est, ab inscriptione tituli ad textum. Hoc prænotato:

93. *Rubricæ Decretalium, Clementinarum, et Extravagantium sunt authenticæ.* — Resp. I. Rubricæ Decretalium, Clementinarum, atque Extravagantium, sunt authenticæ, non item rubricæ *Decreti Gratiani* insertæ. Ita Glossa in proœmio *Sexti Decretalium*, §. *Tituli*; Abbas in proœmio, *Rex pacificus*, num 8; Jason in l. *Bene est*, n. 2, ac seqq. ff. *Si certum petatur*, et communis. Ratio est, quia rubricæ decretalium sunt auctoritate pontificia additæ, et una cum tota compilatione approbatæ: prout desumitur ex proœmio tum *Decretalium* Gregorii IX, ibi: « illas in unum volumen, resecatis superfluis, providimus redigendas; » tum *Sexti Decretalium*, ibi: « In unum librum redigi mandavimus, et sub debitis titulis collocari. » Accedit reg. 80 juris in 6. « In toto partem non est dubium contineri, » ac proinde princeps, totum librum approbans, hoc ipso singulas ejus partes approbare censetur, et consequenter etiam rubricas: eo præsertim, quod hæc, resecatis jam superfluis, de Pontificis auctoritate remanserint.

94. *Non item rubricæ Decreti Gratiani.* — Secus est dicendum de rubricis *Decreti Gratiani*; tum quia non fuerunt editæ a magistro Gratiano, sed a quodam alio; prout tradit Abbas, loc. cit. Cepolla, cit. tract. *De cogni-*

*tione librorum juris Canonici*, n. 16, allegans Speculatorem, et alios: et indicatur in annotatione ad §. *Humanum genus*, dist. 1; tum quia aliquæ ejus rubricæ reperiuntur falsæ, et corruptæ, ut notat Glossa in can. *Chartæ*, 3, quæst. 9, §. *Reo*. Imo potius sunt summaria capitulorum quam rubricæ, juxta Cepollam, loc. cit. n. 17; tum tandem, quia non apparet quod ipsum totum opus decreti fuerit approbatum pro authentico; ergo neque rubricæ illius, quæ proinde non possunt allegari, neque jus ponunt.

95. *Etiam loquendo de prima ejusdem rubricæ.* — Nec obstat quod Jo. Andreas, Butrius, Imola, et quidam alii, hinc excipiant primam rubricam decreti, quam aiunt esse authenticam. Siquidem etiam hoc videtur negandum, ob rationes allatas: quinimo prima illa rubrica non loquitur dispositive, sed solum addita fuit ad declarandam finalem intentionem libri; sicque potius debet dici vera, quam authentica. Abbas, loc. cit.

96. *Rubricæ Decretalium, etc., recte allegantur ad decisionem causarum; valet argumentum a rubro ad nigrum.* — Resp. II. Rubricæ Decretalium, et legum recte allegantur in iudiciis, atque ad decisionem causarum: et bene « valet argumentum a rubro ad nigrum » (hoc est, a rubrica ad textum canonis, seu legis) dummodo rubrum non contradicat nigro; idque ad multiplicem effectum. Ita Glossa, loc. cit. subjungens rubricas esse de textu; ac proinde « scriptorem, qui promisit textum scribere, illas ponere debere. » Et alia Glossa in can. *Hæc autem verba*, §. *Statuit, de Pœnitent.* dist. 1, ubi inquit: « Arg. quod rubricæ sint authenticæ; nam ex verbis rubricæ argumentatur hæc lex. » Abbas et Jason, ubi supra. Card. Tuschus, lit. R. concl. 379, et alii communiter. Idque convincunt rationes hactenus adductæ, ostendentes quod rubricæ sint authenticæ. Idem amplius declaratur inductione, ostendendo diversos illos effectus, in ordine ad quos rubricæ utiliter allegantur, argumentando a rubro ad nigrum, ut loquuntur.

97. *Dummodo nigrum non contradicat rubro.* — Generatim enim loquendo, aut rubrica consonat nigro, aut contradicit nigro. Si hoc posterius, tunc quidem non licet argumentari a rubro (prout in conclusione casus hic jam est exceptus), sed statui nigro, sive claro textui canonis, legis, aut statuti, tanquam magis deliberato, magisque speciali, simulque posteriori. « Nam generali per speciale

procul dubio derogatur, » c. *Pastoralis* 14. de *Rescript.*, juncta reg. 34 juris, in 6, cum concordantiis. Atqui non est rarum, quod a rubrica generaliter loquente, postmodum excipiantur casus speciales: sic quippe cap. 1, *Ne sede vacante aliquid innovetur*, in 6, ab hac rubrica generaliter loquente, excipitur collatio præbendarum, communiter spectans ad episcopum et capitulum. Similiter L. un. c. de *Præbendo salario*, lib. X, haud obstante quod rubrica videatur esse affirmativa, subjungitur in nigro casus, in quo illud non est præstandum. Abbas in cit. proœmio, *Rex pacificus*, n. 8. Jason, ubi supra, n. 12, et alii. Insuper, quod posteriora et ultima derogent prioribus, patet ex c. 1, de *Constit.* in 8, et l. *Pacta novissima*. C. de *Pactis*, cum similibus; ergo idem fiet in casu, quo nigrum est contrarium rubro.

98. *Rubricæ quedam continent perfectum sensum, aliæ non.* — Quod si vero rubrica consonet nigro, tunc ea vel continet perfectam orationem, ut hæc: « Ne sede vacante aliquid innovetur: Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur: Ne clerici, vel monachi sæcularibus negotiis se immisceant: Ne quis in sua causa judicet, vel jus sibi dicat: Ut nemo invitus agere, vel accusare cogatur, » et aliæ hujusmodi. Vel non continet sic perfectam orationem; ut illa: « De summa Trinitate, et Fide catholica: de Constitutionibus: de Rescriptis, » et consimiles. Si primum, tunc rubrica illa, utpote perfectum sensum continens, simulque authentica existens, potest allegari non solum ad effectus sequentes, sed etiam dispositive; prout quotidie allegantur rubricæ illæ, « Ne sede vacante aliquid innovetur; Ne quis in sua causa judicet, » et consimiles. Secus est dicendum de aliis rubricis non continentibus perfectam orationem: hæ enim non possunt allegari dispositive (de nullo enim disponunt, ob imperfectionem sensus, sive orationis, quam habent) bene tamen declarative, et ad alios effectus illico referendos. Unde

99. *Rubricæ possunt utiliter allegari, I dispositive, II declarative.* — Resp. III. Rubricæ authenticæ utiliter possunt allegari ad quatuor potissimum effectus, I *dispositive*, dummodo contineant perfectam orationem, ut proxime dictum; II *declarative*, nam quotiescumque verba canonis, legis, vel statuti, ideoque nigri, sunt obscura, vel ambigua, possunt ac debent ea declarari per rubricam præcedentem. Glossa L. 1, §. *Retractare*. C.

« Ne liceat in una eademque causa tertio provocare: » ubi inquit: « Et quod sic sit intelligenda lex, probat rubrica. » Jason, loc. cit. n. 2. Abbas, ubi supra, docens quod quando ex una lege, vel uno canone eliciuntur variorum lecturæ, accipienda sit illa, quæ congruit rubro, juxta glossam in c. *Cum monasterium*, §. *Postulantis*, de *Election*. inferentem ex rubrica illius capituli, quod ibi facta sit electio, et non mera postulatio; cum illud non ponatur sub rubrica de *Postulatione*, sed de *Election*.

100. *III Extensive.* — III. Extensive: nam rubrica generalior nigro, et habens perfectam orationem, debet attendi, ac sufficit ad decisionem causarum, et non restringitur per nigrum magis speciale, sed potius istud ampliat; dummodo hoc intelligatur sub certis limitationibus. Ita fuse card. Tuschus, litt. R. concl. 370, n. 1, et seqq. Jason loc. cit. n. 3, et seqq. Albertus Brunus Astensis, tom. II. *Tractat. tract. De Statutis*, art. 8. n. 94, ac seqq. et alii, quos citant, post Glossam l. un. C. de *Capitatione civium censibus eximenda*, lib. II. Et merito: siquidem rubrica, habens orationem perfectam, habetur pro textu. Proinde Jason n. 8, post Salicetum, hoc exemplificans infert, quod si rubrica statuti diceret, quod in causis laboratorum et notariorum procedatur summarie, et in nigro statuti nulla fiat mentio de notariis, idem tamen judicandum sit de notariis, cum rubrica generalior generaliter intelligi debeat. Favet textus in l. 1. C. de *divers. Rescrip.* juncta l. *Titia*, §. 2, ff. de *Verb. obligation*. ubi notatur, quod ea, quæ in præfationibus dicuntur, in sequentibus repetita intelligantur.

101. *Dummodo inde non insurgat correctio nigri.* — Additur notanter, « dummodo hoc intelligatur sub certis limitationibus. » Nam imprimis hoc limitandum est, nisi intelligendo rubricam generaliter, insurgeret correctio nigri, sive contradictio inter rubricam et nigrum: tunc enim nigrum, veluti posterius, et magis speciale, magisque deliberatum, restringit rubricam, ut dictum n. 97. Accedit alia ratio, quia ita demum rubrica generalior declarat nigrum, illudque ampliat, quando nigrum est dubium: si autem est clarum, prævalet rubricæ et non recipit interpretationem, sive ampliationem ab ipsa. Card. Tuschus, loc. cit. post Romanum, consil. 104, n. 5.

102. *Nec aliud obstet.* — Limitandum est secundo, nisi consuetudo practica, vel stylus sit contrarius. Siquidem consuetudo est op-

tima legum interpres, c. *Cum dilectus*, de *Consuetud.* et l. *Si de interpretatione*, ff. de *Legibus*. Aut nisi talis rubrica generalis extenderetur ad aliquid durum, vel iniquum, contra vel præter significationem verborum, et mentem statuentium: nam in materia odiosa, locutio indefinita non æquipollet universali, imo strictissime debet intelligi, c. *Odia*, de *reg. juris* in 6, junctis illis, quæ notantur in l. *Venia edicti*. C. de *in jus vocando*. Jason, n. 7. Astensis, loc. cit. n. 96, card. Tuschus, et alii.

103. *Et IV arguatur ex situatione, sive ordine rubricarum.* — IV. Rubricæ authenticæ utiliter allegantur, arguendo non solum ex verbis (modo hactenus declarato) sed etiam ex situatione, sive ordine ipsarum rubricarum, interpretando videlicet textum, sive nigrum, ut conveniat titulo, sive rubricæ, sub qua situatus est. Abbas, loc. cit. et c. *Bonæ*, §. fin. de *Confirmat. utili. vel inut.* Jason, n. 14, et alii, post Glossam, variis in locis proxime allegandis. Neque enim in jure aliquid inordinatum, incorrectum, aut superfluum admitti debet, contra proœmium decretalibus præfixum.

104. *Ex plurimis lecturis ejusdem canonis prævalet, quæ magis convenit rubricæ, sub qua canon ille situatur.* — Infertur proinde cum cit. Abbate, quod ubicumque plures lecturæ possunt elici ex uno textu canonis, legis vel statuti, illa sit amplectenda tanquam verior, quæ magis convenit, et adaptatur rubricæ, sub qua textus ille situatur. Et hic est unus modus arguendi a situatione rubricæ. Exemplum hujus habetur ex cit. c. *Bonæ* ubi Glossa, §. *Tamdiu*, ex hoc infert, quod ibi fuerit facta per Papam simplex confirmatio alicujus sententiæ, absque eo quod super observatione illius sententiæ litteræ commissionis ad judices impetrarentur. « Alias (inquit Glossa) quare fuisset posita hæc decretalis in titulo isto, de *Confirmatione utili, vel inutili*? Potius debuisset poni in titulo, de *Appellatione*, si deberet intelligi secundum illam decretalem *Oblatæ, de Appellat.* » Hæc Glossa.

105. *Alius modus arguendi ex situatione rubricarum.* — Alia ratione licitum est arguere ex situatione, seu ordine rubricarum, inferendo pro contentis sub rubrica rationem, seu qualitates ipsius rubricæ. Hinc Glossa in c. *Tibi qui*, 12. §. *Certo*, de *Rescript.*, in 6. et *Clem.* un. §. *Executores*, de *Officio delegati* recte infert, quod executores a Sede apostolica deputati habeant delegatam jurisdictio-

nem, eo quod materia de executoribus ponatur sub titulo, de *Officio delegati*: ut habetur in c. *Si super gratia*, 9 de *Officio delegati*. in 6, et *Clem.* un: eod. Insuper, quia materia conservatorum, quos Sedes apostolica concedere solet ad defendendum sibi commissos a manifestis injuriis et violentiis, etiam ponitur sub titulo, sive rubrica, de *Officio delegati*; prout liquet ex cap. 1. et 2, cap. ult. eod. in 6. Hinc Glossa, cit. cap. 1, §. *Conservatores*, de *Offic. delegat.* in 6, et doctores passim recte inferunt etiam conservatores habere jurisdictionem delegatam: alioquin enim eorum materia male poneretur sub rubrica, de *Officio delegati*. Abbas in proœmio, *Rex pacificus*, cit. n. 8, et cap. ult. n. 22, de *Sen. et re judic.* ubi similem illationem facit: « nam valet (inquit) argumentum a situatione rubricæ, ut not. in c. *Tibi qui de Rescript.* lib. V, et c. *Si super gratia*, de *Offic. Delegat.* in 6, et c. *Bonæ*, de *Confirmat. utili.* »

## § VII.

DE SUPERScriptionIBUS, ET SUMMARIIS CAPITULORUM, AC SUPERFLUITATE VERBORUM VI-TANDA.

106. *Summaria capitulorum non sunt de textu.* — Quæritur I. Cujus auctoritatis existant superscriptiones, ac summaria capitulorum? Resp. I. Quantum attinet ad summaria, quibus nimirum Capitula summantur, horumque contentum in brevem summam redigitur: ea non sunt de textu, sed pro majori legentium commoditate primum addita fuerunt ex scriptis diversorum doctorum, præsertim Abbatis Panormitani, Joannis Andreae, Dominici, et aliorum, qui in ipsismet summaribus non raro allegantur. Patet proinde quod hæc sint quædam doctrinalia, sed vim authenticam, et decisivam in judiciis non habeant, nisi in quantum concordant cum textu subsequenti.

107. *Tamen sunt habenda in magna æstimatione. Quomodo ea differant a notabilibus?* — Quia vero summaria constituuntur ex his, quæ canonum, sive legum expressa verba sonant: et per hoc differunt a notabilibus, qualia sunt constituenda ex illis, quæ tacite intelliguntur, ut ait Ant. Massa Gallesius tom. I. *Tractatum*, tract. de *Exercitatione Jurisperitorum*, lib. III, n. 70, merito summaria in magna æstimatione sunt habenda.

108. *Superscriptiones capitulorum sunt au-*